

18
133



(1. = ~~Dbl z~~ von Jc 1253 vgl. P. 10)

00

Die angeb. Schriften z. J. 1000

2
L 10

Gu

3

PSALMI DVO

INSIGNIORES, SPIRITU
PLANE PROPHETICO DE PAS-
sione, morte, & resurrectione Christi Iesu, e-
iusdemq; sacerdotio ac regno, à Davide de-
cantati, quorum testimoniis, & Evangeli-
stæ, & Apostoli ipsi, usi
fuere.

*Expositi partim carmine hexametro dactylico
heroico, partim alterno, dactylico hexametro,
& jambico trimetro.*

à
GREGORIO BERSMANO ANNÆ-
berg. Paraphraste.

Vnà cum Psalmo LXIX.

Orationem continente Christi in cruce, & la-
mentationem de gentis suæ crudelitate, ex-
positam ab eodem metro Alcaico & Archi-
lochio.

SERVESTÆ,

Excudebat Zacharias Dörfferus, Anno 1611.

ILLVSTRISS. ET PIENTISSIMO PRIN-
cipi ac Domino,

DN. IOHANNI GEORGIO,
PR. ANHALTINO, COMITI A-
SCANIÆ, DOMINO SERVESTÆ AC
Bernburgi &c. Domino ac *евсѣяльн* S.
clementis.

*Specimen hoc Recensionis sue Psalmorum Davi-
dicorum decennalis, subjectis. cum reverentia offert auctor.*



PRÆCINENDA SUPER AV-
RORÆ CERVA, CANTIO

Davidis.

PSAL. XXII.

Deus, Deus meus respice in me, &c.

- N** Am cur me, DEVS, abjectum; cur mi DEVS, omnino
Deseris auxilio cassum, dubiumq; salutis?
Absistensq; procul, lamentis surripis aures?
Seu me, namq; dies radiis adspexit Eois,
Ad te manè preces, Deus, & vota irrita fundo:
Seu furvis afflavit equis nox; nocte querellas
Extendens, gemitu sopitis obstrepo terris.
- At tu, quem sancta custodem vendicat urbis
Vacidum genus, ac votis veneratur & aris,
Sanctus es, atq; tua decus & fiducia gentis.
- In te spem nostri quondam posuere parentes,
Nec vanà posuere fide: spem namq; parata
Auxilium prævertit opis. Te voce citabant,
Tu facilem præbes te voce citantibus aurem:
Ipsum te freta fuit spes vindice; freti
Vindice te, te maculis non erubere repulsa.
- Hec patrum fortuna fuit: mea durior illis
Sors est, non hominis qui dignus nomine, vermis
Audio, ludibrium volgi, risusq; taberna;
- Insultatq; meo passim quæ turba dolori,
Et ronos crepat, & distorquet labra cachinnis,
Et motans caput, his acuit garribus iras:
- Inunc, & carum te leuova, hujusq; sub alis

Incolumem iacta. Quidni? sic ille periculis
 Eruat, ac leti discrimine seruet amicum,
 Tam placitum sibi, tam dilectum ex omnibus unum,
 Tam gratum ante alios, si fert ita fortè voluntas.
 9 At tua me manus extraxit genitricis ab alvo,
 Tu mea lactenti nutrices ore trahentis,
 10 Tu nascentis eras spes & solamen; in oras
 Luminis emissus, tibi pectore totus adhasi;
 Pappanti te voce Deum patremq; vocavi.
 11 Ne te igitur, me deserto nunc, rebus in arctis
 Cum prestò mihi nullus ope est, te subtrahere, praesens
 Auxilium poscente malo, quod comminus urget.
 12 En arctum stipant latus, hinc conferta bouum vis;
 Hinc, membris & mole valens, me circuit agmen
 Taurorum; rictus reserantum immanis hiatus,
 Herbida vix quanto Basana pascua carpunt;
 13 Quanto hiat esuries in praedam dira leonis.
 14 Qualis aqua fusus manat liquor, omne liquari,
 Et succi videas tabescere flumine corpus.
 Genua labant artusq;, jugi compage soluta,
 Delicuitq;, instar cera, cor pectoris imo.
 15 Quae pridem fuerat, virtus exaruit omnis,
 Limus ut, in testam qui multo induruit igne.
 Haeret lingua siti torpens, arente palato;
 Iam tumuli injecto videor mihi pulvere mersus.
 16 In me turba canum rapida ruit ocyor aura,
 Ac crudos lacero confert in corpore dentes.
 In me avidi cadis conspira vere manipli,
 Atq; manus clavi terebrarunt are pedesq;.
 17 Iam loca vulneribus desunt: iam, carnis amictu
 Pertuso plagis, apparent ossa tuenti:
 Detectaeq; micant venae; salientia possis

Visce-

Viscera, cum tremulis numerare in pectore fibris.
 Nec tamen his expleta animum truculentia pœnis,
 Post absunta in me cessat tormenta dolorum:
 Quin, saevo spirans immitem corde furorem,
 Diro oculos pascit spectaculo, lata malorum.
 18 Nec modus: ah, divisa mea post tegmina vestis,
 Sortitus tunica galea accipit impia nostra.
 19 At tu, qui cuncta obtutu lustrasq, regisq,
 Ne, cunctatus opem, mea vota morare, Iehova,
 Spes inopis roburg, Deus, ne, quæso, recedens
 His à me dextram iactato fluctibus aufer.
 20 Tu ferrum huic defende anima gladij, furorem,
 Vimq, canum prohibe deserta, viribus orba;
 21 Tu vastas rabidi fauces compesce leonis,
 Fulmineumq, fera cornu contunde minacis.
 22 Sic opis ipse tua sospes tutamine, nomen
 Ad fratres memorabo tuum; meritumq, fidemq,
 In sacri media cœtus celebrabo corona;
 23 Vos, inquam, cultus quos tangit cura Iehova;
 Isaci genus, & proles generosa Iacobi,
 Celo aquate Dei famam, ac præconia laudum,
 Laudibus & sanctum Domini sociate timorem.
 24 Haud opis ille sua namq, adversatus egentem,
 Abjecit curam afflicti, voltumq, removit:
 Sed prona bibit aure preces & vota gementis.
 25 Hinc mihi materies, hinc carminis argumentum,
 In tua, sancte DEVS, nascetur facta diserto.
 Me præeunte, tuas, conventu plena frequentis
 Sanctorum, laudes Ecclesia grata sonabit:
 Vota tibi solvam, cœtu applaudente piorum.
 26 Ipsa sacris quoq, turba inopum, miserabile vulgus,
 Qui casto indagant pietatis amore Iehovam,



Vescetur dapibus, ferclisq; ante ora paratis:
Ipsa epulis perfuncta tuis, potuq; refecta,
Te vita canet artificem, auctoremq; salutis,
Aeterna consors vita, composq; salutis.

27 Huius ad exemplum, meritorum gnara Iehova
Atq; memor tellus, à vespere Solis ad ortus,
Ad nomen conversa tuum cum gente nepotum,
Te venerans, pacemq; petens, tibi brachia tendet;

28 Quem penes est celi terraq; Iehova, potestas,
Qui regis imperijs hominum res atq; Deorum.
Te flexo orantes agnoscent poplite regem,
Et, quos ampla beat numerofo copia censu,
Et pecora, & colles, & gleba divitis uber;
Et, qui pauperie rebusq; laborat egenis,
Informis squalore situs, & pulvere terra;
Et morti, iam iam vita fugiente, propinquus;
Accumbent epulis pariter, pastuq; fruuntur
Vivifico, sacra recreati nectare cana.

30 Hoc sancto facient suboles imitamine patrum:
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis,
Cumq; his in sacrum quos census miserit album,
Te Deum adorantes pariter, regemq; canentes.

31 Qua tibi debetur soli, meritòq; refertur,
Iustitiam, Deus alme, tuam, meritumq; salutis,
Narrantes populo, quem postuma proferet aetas.

Segmen-

Segmentum sive Monile aureum Davidis.

PSAL. XVI.

Conserva me Domine, &c.

1. **N**umine fixa tuo spes est mea, conditor avi;
Ne me spes fallat numine fixa tuo;
Me tibi confisum serva, defende, gubernas.
O vita columen prasidiumq; mea.
2. Hæc mecum versans, simul ore, Iehova, ferebam,
Et meritò: solus tu mihi namq; Deus.
Te solum veneror, te pendeo totus ab uno,
Sed meritis par est gratia nulla tuis.
Ecquid enim auctori rerum, fontiq; bonorum,
Pro merito reddi, me tribuente, queat?
3. Pro sanctis ergò, tibi debita, precipuisq;
In terra, solvet mors subeunda mihi.
Hi sunt delicia, mea sunt hi gaudia soli,
Quorum sancta nitet cum pietate fides.
4. At, quos victa juvat sectari numina divùm,
Oblitos castæ religionis opus:
Hos dolor ærumnaq; graves post terga sequuntur,
Solis ad Eoas Hesperiasq; plagas.
Quoq; via fuit emensum plus, amplius ipsis
Hoc vitæ attrivit, cura laborq; comes.
Execror istorum sacra, cæde natantia multa,
Et largo madidas sanguinis amne dapes.
Nec, quæ stulta colit falsæ pietatis imago,
Usurpabo meis nomina fæda labris.
5. Nempe, Iehova, mihi pars es demensa bonorum,
Tu mihi frugiferi sufficis uber agri.
Tu me, legitimi sortitum heredis honorem,
Divitiis auges, munere largus opum.

Quam

6. Quàm præclara mihi cecidit sors ruris amani,
 Omnigeno pascens lumina flore mea!
 Cui mirata suas non certent Gargara messes,
 Nec Pelusiaci pinguis culta soli.
7. Hinc te laude, Iehova, feram, tibi carmina pangam,
 Sande parens, grata carmina mentis opus,
 Qui me consiliisq; tuis monitisq; gubernas,
 Erudiens renes nocte silente meos;
 Arcanoq; ciens intus præcordia motu,
 Ut legem accipiant rite subacta tuam.
8. Ante, Iehova, mihi est oculos, quem lumine servo
 Immoto, obsequiis devenerorq; meis.
 Dum latus ille suo præsto mihi numine firmat,
 Haud me præcipitem vis dabit ulla mali.
 Impavidum ferient celi terraq; ruina,
 Ut fractum immensi corruat orbis opus.
9. Hinc mihi letitia pertentant gaudia mentem,
 Que plausu ingeminat emula lingua suo.
 Sustentatq; meum, spes & fiducia corpus,
 Securum adversus lurida tela necis.
10. Quod tellus quamvis tumulo contexerit arcto,
 Haud imo clausum condet avara sinu.
 Nec demersa sines ut degat vita sub Orco,
 In leges intrans mancipiumq; necis:
 Aut, cum carne, anima vis ut labefacta quiescat,
 Ac tuus in cineres sanctus ut omnis eat.
11. Tu vita mihi pandis iter, callemq; salutis,
 Ut rectâ pergam, te præeunte, viâ.
 Latitiaq; tuo labuntur flumina voltu,
 Ubere tu fundis gaudia plena manu.

Præcin.

Præcinendum ad rosas Davidis.

PSAL. LXIX.

Salvum me fac, Deus, quoniam intraver. &c.

1. **N**unc me, Deus, nunc dextra opifer tua
Serva labantem, teq; mora eripe,
Dum gurgites sorbent aquarum,
Vorticibus, caput hoc, retortis.
2. Iam me profunda lama voragine
Aufert, abyssus iam pedibus solum
Subducit imis, atque vasto
Obruit unda vorans hiatus.
3. Clamore torpens raucifona stetit
Vox fauce; servant lumina dum tuam
Hæc adjuvantis me salutem,
Diriguere acie irretortâ.
4. Sylvam pilorum, qui caput induunt,
Est expedire promptius, hostium,
Qui non merentem odere acerbè,
Quàm tabulis numerum referre.
Quorum luenda est improbitas mihi,
Et noxa fraudum; fraude licet vacem,
Noxaq; nec consors rapinae,
Rapta luam sine fraude partis.
5. Num quid patrârim stultitiæ, Deus,
Tu nempe nosti, quem nihil omnium
Hoc præterit sub orbe rerum,
Quem mihi flagito cognicorem.
6. Mea, ô Iehova, sortis imagine
Non erubescat gens hominum pia:
Non illa te fretis probro sit,
Armipotens Deus Israël.
7. Te namq; propter criminibus premor,
Ruborq; voltum dedecoris notat:

B

Nec

8. *Nec fratribus noscor, meaq̄
Nausea sum suboli parentis.*
9. *Hæc nempe zelo debeo, qui tue
Me rodit ædis, dicta tibi probra
Me lancinant, in me recurrunt
Iacta tuo probra cum pudore.*
- 10 *Hinc ille mæror, hinc lacrymæ mihi,
Et tetra voltus larva famelici,
Quam ridet hostis, sacculiq̄
Induvias agit at, protervus.*
- 11 *Garrire de me porta frequens avert,
In mæque fingit carmina, poculis
Taberna nocturnis madescens,
Atque mero fluitans diurno.*
- 12 *Iehova, tantis ferre preces malis
Ad te, salutis spe propero meæ:
Me, veritatis pro favore,
Pròque tue bonitatis, audi.*
- 13 *Quàm mergar, alto me prius extrahere
Limo: nec hostis dede libidini
Me persequentis, ne malorum
Gurgite mergar inops, manum da.*
- 14 *Ne fluctus undis me voret ingruens,
Torto barathrum gurgite sorbeat,
Sorptumq̄, subtus me vorago
Ore recondat humi repando.*
- 15 *Me me, Iehova, respice; quod tui
Spondet favoris gratia, neu tuo*
- 16 *Absconde vultus à ministro,
Atque meo fer opem labori.*
- 17 *Accurre, vitæ ò presidium meæ,
Atque hostium me, quod potes, eripe
Immanitati; probra quorum*
- 18 *Et maledicta, quibus vacantem*
- Culpa*

Culpâ laceſſunt, cuncta patent tibi:
20 His audiendis cor mihi liquitur
 Marore tabeſcens, anhelò
 Conſciturq; doloris aſtu,
Hæc ruminando: cum neque quis potis
 Eſt inveniri, quem miſeratio
 Tangat mei; nec qui mihi ægrum
 Alloquio relevet dolorem.
21 Me felle paſcunt; quæq; ſitim levent
 Arenti, acetipocula perrigunt.
22 O juſte vindex, qualis eſca
 Illaqueat miſeras volucres;
Sic victus illis tendiculas paret;
 Letumque, pacis munera conferant;
 Immo, unde pacem pollicentur,
 Pullulet alta ſeges malorum.
23 Ne recta cernant, lumina uis nigra
 Fuſcent tenèbra: deficiat vigor
24 Elumbe corpus, ultionis
 Ira tuæ premat hos, furorque.
25 Stent inquilinis orba palatia,
 Non ſit parentum tecta habitans nepos,
 Natusve: cladi mancipata,
 Clade ruat domus univerſa.
26 Hunc namque, pœnis quem tibi duriter
 Multare viſum eſt, acriter impetunt,
 Verbisq; acerbant insolenter,
 Et miſero cumulans laborem.
27 Fac culpa culpam, fac ſcelus urgeat
 Delicta peccantium venia carens:
28 Expunge viventium è libello
 Nomina, non ſocianda juſtis.

- 29 At ipse pauper sim licet & dolens ;
Compos salutis , munere opis tua ,
30 Te glorioso cantionum
Munere ritè remunerabor.
31 Quo non Iehova , sacrifici cadet
Dextrâ , iuveni victima gratior ,
Clavâ minacis unguularum ,
Cornibus & geminis ferocis.
32 Sic qui requirunt auxilium Dei ,
Pendentq; ab illo spe , precibus , fide ,
Hoc recreati exemplo orabunt ,
Latitiaq; frement , recepti
33 Leto : Iehova vindice , qui preces
Audit precantum , nec vacuos opis
Dimittit , addictos catenis ,
Atque sua dubios salutis.
34 Hunc ergo celi , terra , maris sinus
Laudent , & horum quæ capit ambitus ,
Mortalium proles , volantium
Cum genere , & pecudum , ac natantum
35 Laudent , Sionis qui iuga protegit ,
Iudaq; cingit mœnibus oppida ,
Et rura metatur colonis ,
Secula quæ teneant nepotum.
36 Quæ possidebit , numinis illius
Cum pace cultor , jure peculij ,
Mansurus illic , posterorum
Cum subole innumerâ per ævum.

F I N I S.

AB: 153 133

Schlossbibliothek
Köthen-Anhalt

ULB Halle

3

002 045 818





TA - OL

R

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

3

MIDVO

DRES, SPIRITU
PHETICO DE PAS-
surrectione Christi Iesu, e-
tio ac regno, à Davide de-
testimoniis, & Evangeli-
Apostoli ipsi, usi
fuere.

*armine hexametro dactylica
alterno, dactylico hexametro,
ambico trimetro.*

BERSMANO ANNÆ
Paraphraste.

Psalmo LXIX.

nte Christi in cruce, & la-
de gentis suæ crudelitate, ex-
dem metro Alcaico & Archi-

RVESTÆ,

rias Dôrfferus, Anno 1611.

